

Reverendo in Christo Patri Domino Mauri-  
tio Episcopo Varmieniensi sincere nobis dilecto.

Sigismundus Dei Gratia Rex Polonia  
Magnus Dux Lithuania Ruffie Prussia  
Masoviaq; & Dominus et haeres.

Reverende in Christo Pater sincere nobis dilecte!

Nihil ambigimus notum esse vestra Paternitati qua  
cura quaque sollicitudine jam pridem distineamur,  
quo in terris Prussia nobis subiectis ejus generis et  
valoris nummi peraderentur, unde etiam toti re-  
gno et Dominij nostris, ne dum terris istis hono-  
ritas, atque augmentum proveniret. Quam ad  
rem cum multum conducere videatur, si in ditione  
illustri Domini Prussia Ducis nepotis nostri pa-  
ris valoris et estimationis nummus aderetur ac in  
terris nostris aderetur, egimus quidem de hac re co-  
ram cum eodem illustri Domino Duce cum apud  
nos Gedani fuisset verum ipse tunc causas quas-  
dam in medium adducebat, quibus sibi de ea ipsa  
re moneta adenda tum nobiscum concludere non  
conveniret, ob eamque rem nos alterum et iterum  
alterum isthic in Prussia Conventum de constitu-  
enda ea ipsa quam tantopere constitui cupimus re-  
monetaria indiceramus, sed nec ita in his ipsis  
Conventibus ut novit vestra Paternitas de eodem  
negotio aliquid certi est constitutum, cum propter  
alia tum propter pestem, quae eodem tempore  
isthic invalescens rem omnem interturbaverat, no-

novissime dum hic totius Regni nostri Conventum  
agimus, supervenerunt ab eodem illustri Domino Duce  
ad nos Legati qui inter cetera mandata hoc precipue  
à nobis contenderunt ut tandem de totius rei moneta-  
ria ratione in utraque ditione per nos determinare-  
tur concludereturque quod quamvis nos quoque cu-  
pide volebamus tamen cum nemo ex consiliarijs  
nostris isthinc hic apud nos comparuerit non erat  
nobis visum ut super ea ipsa re absentibus vestra-  
tibus hic quidquam constitueremus verum ad eam  
rem tandem constituendam alium Conventum Elbingi  
ad feriam secundam proximam post festum Purifi-  
cationis Sancte Mariæ Domine nostræ indicendū  
duximus indicimusque per presentes venturi sunt  
ad eum etiam illustris Domini Prussie Ducis ho-  
mines, qui una nobiscum de ipsa ratione cadenda  
aqualis monete sunt tractaturi et transacturi  
mitteremus nos quoque ad eundem Conventum El-  
bingensem Legatum nostrum, qui cum de ceteris  
rebus nos, terrasque istas nostras concernentibus,  
tum de ratione monetaria vestram Paternitatem  
et alios consiliarios nostros verbis nostris reddet  
certiores, prosertim si de ea ipsa ratione moneta-  
ria vobis, cum illustri Domini Ducis Legatis in  
hoc ipso Conventu convenire non poterit, aperiet  
enim tunc ipse Legatus noster mentem volunta-  
temque nostram, qualem et cuius valoris genus mo-  
nete in utraque ditione habere velimus. Ideo hor-  
tamur vestram Paternitatem et volumus ut ad eundem  
Conventum agendum et de ratione monetaria, tum

tum etiam de ceteris rebus Reipublice tractandū  
 et mutuo conferendum ad diem et locum expressum  
 se recipiat et aliter non faciat valeatque felicitate  
 vestra Paternitas. Datum in Conventu generali  
 Petricoviensi Die Sanctorum Trium Regum  
 Annō Domini Millesimō quingentesimō vigesimō  
 octavō Regni vero nostri annō vigesimō primō  
 Commissio propria De Mtis

scrip. Kalinowski.

*[The text on this page is extremely faint and illegible due to fading or bleed-through from the reverse side. It appears to be a formal document or letter, possibly containing names and titles.]*